

ut nos vicissim reiciamus & contemnamus mundum, nec eius illecebris irretiamur, sed solius Dei favore fieri puritate in cultu Dei & sanctitatem in omni vita seruemus. De hac reiectione partim queritur partim gloriatur Apostolus 1. Corinth. 4. 13. Infamati precamur, tanquam

πεεργάδιματα mundi facti sumus, omnium πειή Inna (sordes) vsque adhuc. Et 2. Corinth. 6. 8. Per gloriam & ignominiam, per conuitia & laudes, ut seductores & tamen veraces, ut dolentes, & semper tamen gaudentes, ut pauperes & multos ditantes, ut nihil habentes sed omnia obtinentes.

CAPITIS XLVII.

Argumentum, Vfus, Partitio, Analysis.

Terminant Hebraei in ver. 27. huius capituli קטז seu lectionem suam XI. & inchoant XII. postremam, ab initiali verbo וַיֹּאמֶר & dixit dictam, qua extrema acta, testamentum, mors & sepultura IACOBI vsq; ad finem libri describuntur. Hoc capite sequitur, quam benigne Iacob in AEGYPTO à rege fuerit acceptus, quo loco, quam cōmode, quanto tempore ibi vixerit; quidq; ante obitum a Iosepho postulauerit, quam misere interim AEGYPTU seuissima fame fuerint afflicti. Sistitur Iacob cum filio ante regem, à quo terram Gosen obtinent, ibiq; liberaliter aluntur: AEGYPTIJ contra omni pecunia exhausti, iumenta, agros & seipsos Regi vendere famis vehementia adiguntur. Denique Iacob morti vicinus Iosephum, ut se mortuum in Cananea sepeliat, iuramento obstringit. Iacobi responso ad regem monebimur de fugacitate & miseria huius vitæ, iuxta versiculum:

Vita fugax hominum magnorum plena laborum.

Et illud Flacci:

O beate Sexti, Vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare longam.

Hor. li. 1. od. 4.

In sustentatione eius exemplum erit seruata promissionis: quando efficit Deus, ut Pharaon rex, licet profanus, sanctum Patriarcham cum suis in fame nutriat, & ei beneficiat, iuxta promissionem Psalmi: Nunquam vidi iustum derelictum, neque semen eius quærens panem. Item: Timentibus Dominum non deerit vllum bonum. Etiam quanta vis sit famis, & quo homines etiam superbos adigat, AEGYPTIJ nos docebunt. Denique in postulato Iacobi documentum illustre beatæ resurrectionis & immortalitatis piorum elucebit.

Psal. 37. 25.

Psal. 34. 10.

Partes capituli sunt tres.

I. De benignitate Pharaonis erga Iacobum & familiam: vsq; ad v. 13.

II. De famis AEGYPTIÆ seuitia & quid Ioseph tunc fecerit, vsq; ad v. 27.

III. Cura Iacobi morituri de sua sepultura, vsque ad finem.

Habent singula partes suas circumstantias insigniores.

In prima erit 1. Pharaonis cum fratribus Iosephi colloquium v. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

2. Regis cum Iacobo colloquium v. 7. 8. 9. 10.

3. Habitatio & sustentatio Iacobi cum familia in Gosen v. 11. 12.

In secunda erit 1. Extreme famis calamitas in AEGYPTO & Cananea v. 13.

2. Venditio frumenti à Iosepho AEGYPTIJS facta.

Prima pro omni pecunia v. 14. 15.

Deinde pro omnibus iumentis v. 16. 17. 18. 19.

Denique pro omnibus agris, & pro seruitute AEGYPTIORUM v. 20. 21.

3. Immunitas Sacerdotum, v. 22.

4. Noua sententia post fam. m: & impositio perpetua quintarum Regi soluendarum per totam AEGYPTUM, v. 23. 24. 25. 26.

In tertia erit 1. Senectus & atas Iacobi, v. 27. 28.

2. Ob-